

QR. 327, 5

X 1824335

5, 509

Z f  
3400

ELEGIA

CLARO ET NOBILI IUVENI DOCTRINA ET OMNI VIRTUTVM GENERE POLLENTI D. SEBASTIANO A VVALVITZ,

*cum ex Italia in patriam rediret, fau-  
tori suo obseruando.*



Scripta à

BIBLIOTHECA  
PONICKIANA

NICOLOAS HAMER-  
schmidio.

*Ut Nobilitate  
pietate et Virtute  
mi D. Matthias  
compatrio suo dedit*



*generis: in  
fo. Martij iure  
Leip. amico et  
Jacobus Lückeloff  
Secundus Lühl  
bonnesie*

VVITEBERGÆ Ioh. Schwertel  
excudebat, Anno 1580.



## ETIPGRAMMA.

Pictor ut ingenio validus si quando figuræ  
Pingit Apellæo membra notanda stylo:  
Purpureum niueo mixtum roseoque colorem,  
Ut placeant oculis quæque videntis, habet.  
Sic tibi dulcifluis pingunt qui carmine versus  
Præstantem propria nobilitate virum:  
Virtutem verbis, verba et virtutibus, auctam,  
Ut placeant animo quæque legentis, habent.

Jacobus Zuckvolfius  
secundus.



## ELEGIA.



Ita defunctum laus accessura parentem  
Non leuis inter auos Umbra Sebaste tuos,  
Sed cur umbrosas vr̄ges Heliconis ad oras  
Dum mea largifluo mergitur amne sitis?  
Aut ad Strymonias rupes? Vbi Thracius Orpheus  
Materna rapidas voce moratur aquas.  
Ingens Mæonium virtus comitatur Homerum  
Dum faciles celebrat Martis ad arma Duces.  
Gloria Virgilio est, Æneæ facta referre,  
Nasonem medio fata in amore petunt.  
Si me Pierium Phæbus duxisset ad antrum,  
Nostraq; Pegasea labra rigasset aqua,  
Meq; Sophocleo donasset Musa cothurno  
Digna vel æterno verba Marone loqui.  
Non Centaureo canerem patrata furore  
Bella, nec Herculea parta trophæa manu.  
Non Anchisiaden fama super æthera notum  
Quem rapit aduerso dira procella DEO,  
Teq; genusq; tuum celebrarem carmine, nec me  
Tâm grati premeret dulce laboris onus.  
Nam canerem pater vt fortis, nitidusq; iuuenta  
Formarit mores ad pia bella suos.  
Digna indigna pati mentem conformat, vt olim  
Victima pro vero stetq; cadatq; DEO.  
Hostes vt noto peregrinos limine pellat,  
Nec sinat ablata relligione coli.



Laus equidem, sedes si quis defendit auitas,  
 Asserit & forti templa vetusta manu.  
 Non satis illud erat patria considerare terra,  
 Semper & obscuro delituisse loco.  
 Ast ubi prima genas vestibat flore iuuenta  
 Sedibus à patrijs regna remota petit.  
 Vel lustrare libet Rheni latebrosa bicornis  
 Flumina, Riphæo cana vel arua gelu.  
 Adde quod Austrinas cursu superauerit Alpes,  
 Viderit & fines Gallia clara tuos.  
 Hunc Apenninus tremuit velut Ida Pelasgos,  
 Visus & Aërium sæpe mouere caput.  
 Tum magis atq; magis iuuenili pectus amore  
 Ardet inaccessos orbis adire lares.  
 Extra anni Phœbiq; vias ubi maximus Atlas  
 Dicitur ætherias sustinuisse domos.  
 Vidit ab Arctoo venientem sidere Turca  
 Incertus pacem ferret an arma, sibi.  
 Territus aufugit veluti tremefactus arator,  
 Quem fugat irrigua subditus anguis humo.  
 Sub Duce Saxonico quos pertulit ipse labores  
 Prætereo, cum iam moriturus erat.  
 Impiger infestum seu cum pedes iret in hostem,  
 Ardua seu premeret terga ferocis equi.  
 Obuius armato se nemo impunè ferebat,  
 Nec validas poterat sustinuisse manus.  
 Heu nihil inuita fas quenquam fidere Parca,  
 Heu nihil inuito fas statuisse Deo.

Sic



713

Sic nos fata trahunt retrò cecidere tot ampli  
Marte viri, quorum sidera tangit honos.  
Sic perijt Peleus, Pelei sic inchyta proles,  
Fortis & Æacides, sic Telamone satus.  
Sic Laërtiaden, terraq; mariq; labores  
Qui tulit intrepidè flebilis vrna tegit.  
Ast huic pro patriæ cura, pro fortibus ausis  
Cœlestem pietas vendicat alma domum.  
Letus vbi niuea redimitus tempora vitta  
Cœlicolas inter gaudia vera capit.  
Credo equidem, nec me confundet opinio mentis,  
Fulgebit facies marmore clara magis.  
Amplius haud belli causas Martemq; cruentum,  
Non vltra alipedes ipse timebit equos.  
Quin potius cœlo surgentia sidera discet,  
Et pius æternæ secula pacis aget.  
Sed si tanta virum comitantur munera fortem,  
Quem iuuet & reges inter, & arma mori.  
Et bellatorum miseret, quæ mitis alumno  
Musa tuo tribuens præmia digna dabis?  
Qui se commendans vestris ante omnia castris  
Noluit indomito pectora Marte regi.  
Vivat Iò felix, grataq; quiescat in vmbra,  
Quà chorus Aonidum carmina leta sonat.  
Quem non delectant liquidi Carchesia Bacchi,  
Impia nec bibuli pocula Thracis amat.  
Quem non illaqueant æris defossa talenta,  
Munera nec, quotquot celsa Corinthus habet.

A 3

Sed



714  
Sed veri pia dona DEI, quis nesciat illa,  
Cum sint Phœbea splendida luce magis?  
Quorum si seriem solito de more referrem,  
Ingrueret clauso nox tenebrosa die.  
Culta nouenarum qui mox petit antra sororum,  
Et trahit illecebris Delius ipse suis.  
Euterpe monstrat numeros intendere nervis,  
Euterpe citharas diligit atq; lyram.  
Non tamen his contentus erat, tractare choreas,  
Fallere vel dulci tempus inane ioco.  
Docta sed Vranie nitidis quæ præsidet astris  
Lumine cælestes mandat adire plagas,  
Quid properent vndis se hyberni tingere soles,  
Quæ mora vel tardis noctibus obstet iners.  
Impia quid nostro portendant omina seculo,  
Cynthia fraterno lumine quando caret.  
Sirius exurat quid agros, nimbosus Orion  
Tristem pestifero quid trahat igne luem.  
Vtq; viri docti clarus reputatur Achilles,  
Et bellatoris sæpe tulisse vicem.  
Prælia seu gereret maternis horridus armis,  
Sive Pericleo redderet ore sonum,  
Non erat utilior bellis, nec erat magis alter  
Doctus Apollineæ pleetra mouere lyræ.  
Sic tibi non desit, si quando postulat usus  
Nestoreo mixtos funderè rore sales.  
Quin Themis inspirans excelsæ munia menti  
t Latat in gremio delituisse suo,

Maius



715  
Maius es ergo decus maioremq; orsus honorem,  
Cum tua Gorgoneo pectora fonte rigas.  
Quam si secleris truculenti praelia Martis,  
Pax iuuat, est bello nulla futura salus.  
Scilicet vt iusto potiaris honore labores  
Mille subis, perfers mille pericla modis.  
Te non impediunt Alpes, non frigora Rheni,  
Nil mouet immiti degener ense latro.  
Non Dacus surgens à Valle binominis Isthri,  
Nec retrahit cursus inchoata Roma tuos.  
Non Papæ terrere minis, furor omnis, & ira  
Euanescit ouans tecta superba petis.  
Insuper ostentat fluuio se Tiberis amæno,  
Gestit & aduentu lætior ire tuo.  
Teq; propinquantem decedentemq; salutans  
Visus erat tali soluere verba modo.  
Quis Deus ô iuuenum confidentissime terræ  
Appulit Hesperia? quæ manifesta fides?  
Qui genus vnde domo? quibus es dimissus ab oris?  
Vendicat exortus quæ sibi terra tuos?  
Miror vt incedas regali splendidus Ostro,  
Vtq; verecundus pectora velet honos.  
O animis præstans quantum virtute fideq;  
Exuperas, tanto dignior ipse tegi.  
Cesset atrox Boreas, non prouocet Africus imbres,  
Blandula quin currum subleuet aura tuum.  
Quo duce susceptus labor, & cui credita res est,  
Absoluet fausto tramite cepta DEVS.


Ille



715 Z/ 3400 OK  
Ille dabit facilem reditum, cui nomina mille  
Mille modi patriis de dare rursus agris.  
Ecquis ad Ausonias unquam te crederet oras  
Venturum fido ni comitante DEO?  
I decus, i patriæ longos victure per annos,  
Et suaue Aonidum fer patienter onus.  
Hæc ubi Tibris ait: responsant littora circum,  
Littora conatus testificata pios.  
Fallor? an Angelicus niueis exercitus alis  
Increpat, atq; pium soluit ab ore melos.  
Ergo tot Ausonias cum collustraueris vrbes,  
Et modo fas hominum videris atq; nefas,  
Aspice (sin roseo cerni sunt lumine digna)  
Carmina Mænalio scripta sub axe precor.  
Quanquam te magna vellem doctissime pompa  
Solis anhelantes ducier inter equos  
Sed quoniam tantas nunc primum nascor ad artes,  
Et nervos tenui robore Musa leuat.  
Prima rudimenta, & multo vigilata labore  
Accipe Mæonio digna labore cani.

sin





Q.N. 327,5 X 1824335 5,509  
Z f 3400

ELEGIA  
CLARO ET NOBILI IUVENI DOCTRINA ET OMNI VIRTUTVM GENERE POLLENTI D. SEBASTIANO A VVALWITZ, cum ex Italia in patriam rediret, fau- tori suo obseruando.  
Scripta à NICOLAO HAMER- schmidio.  
VVITEBERGÆ Ioh. Schwertel excudebat, Anno 1580.



*Ut Nobilitate pietate et Virtute mi D. Matthiae consobrius suo dedit*  
*generis ipsius fau- to Iustitiae iure Lips. amicus et Jacobus Lichtenhoffius Scudderij Schyl bronnesii*